



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Pacis Westphalicæ Publica

Oder Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte

worinnen enthalten, was vom Monath October Anno 1645. biß in den Monath Martium Ann. 1646. zwischen Jhro Römisch-Kayserlichen Majestät, dann den Beyden Cronen Franckreich und Schweden, ingleichen des Heiligen Römischen Reichs Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen, zu Oßnabrück und Münster gehandelt ...

Meiern, Johann Gottfried von

Hannover, 1734

VD18 90103106

N.II. Desselben Schreiben an die Frantzösische Gesandten in eadem materia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51672)

1645.
Nov.

desideriis unica fuit, & ne in sterilibus nobis exaresceret, dum illam serio, per quoscunque labores quærendam judicamus, quasi de navi in scapham transeuntes, jam ante semestre omnium primi, ad speratæ Pacis Tractatus, omni præcisâ mora spretoque periculo, Legatos nostros mittere non dubivimus, quibus illud unum & perpetuum mandatum est, ut, quæ consilia tranquillitatem publicam magis promoverent, ea amplecterentur, iis adhererent insisterentque. Ad hæc accedit, quod interea de nostris facultatibus, res frumentaria expedienda sit, sive quicquam aliud, quod in potestate nostra positum fuerit, & honeste communicari potuerit, non ægre Gallicis Exercitibus contulerimus. Tum aliunde ejusdem nominis Confœderatis, quibus hujus Provinciæ pars maxima pactam constitutamque mensuram contributionem pendit, nullam hostilitatis causam jam diu dederimus, aut imposterum dandam statuamus. Et cum unicum impedimentum proximum quieti nostræ obesse videri possit, unum nempe aut alterum in visceribus nostris Cæsareanum præsidium, utriusque dimissionem ex animo exoptantes, vehementer sollicitamus. Atque etiam a Cæsarea Majestate prægnatibus rationibus impetrare conamur, ut integer Circulus, tam ab hybernis quam æstivis stationibus liber atque immunis, imposterum speratæ quieti relinquatur. Ita ut nihil a nobis sive domi sive foris unquam prætermisum sit eorum, quæ Provinciæ nostræ favorem apud externos, aut benevolentiam conciliatura credebantur: quæ cuncta faciunt, ut tanto majore fiducia ad Regiam Majestatem Vestram hanc nostram supplicationem dirigamus, rogemusque, ut dum negotium Pacis tractatur, urgeatur, conficitur, Franconiæ Circulus, cujus integri unica voce loquimur, ac manu scribimus, non ea, qua hostiles regiones solent, ratione censeatur vexeturque, sed eam experiatur clementiam, quam amica æque & cognata Provincia sperare potest. Quod nobis tunc primum concessum intelligemus, si Regia Majestas Vestra Suam hanc in nos benevolentiam Duci de Anguin aliisque Præfectis, quorum interest, per literas significare dignata fuerit &c. Datae Bambergæ d. 19. Sept. 1645.

1645.
Nov.Ad Christianissimum
Regem Franciæ.

N. II.

Des Fränckischen Crayses Schreiben an die Franckösischen
Plenipotentiarios zu Münster.Illustrissime & Celsissime Princeps, Illustrissimi &
Excellentissimi Domini.N. II.
Ej. Schreiben
an die Fran-
kössische Ab-
gesandte.

Quanquam Gallicæ Coronæ Præfectis universis singulisque, sive bellum geratur, sive de pace agatur, studia nostra atque instituta probari non incerti sumus; Nos eadem silentio prætermittere præsentium temporum ratio non sinit, sed in compendium contracta repræsentare suadet; quod quidem tanto libentius facimus, quanto minus de Christianissimi Regis proposito nobis metuendum esse persuasum habemus. Ejus enim Clementissimis literis ad Pacis Tractatus invitati, ad quos Legatos nostros haud cunctanter expedivimus, a Celsitudine Vestra & Excellentissimis Dominationibus Vestris non tantum humanissime eos exceptos esse, cum iis, quoties res ita postulat, peramanter communicari gaudemus; atque ita non inanem esse Francorum cum nostra Gente originis atque generis historiam gratulamur. Hæc nos certe benevolentiae semina impense colimus, quod ipsos exercituum Duces non inficiari credimus. Ubi enim annonæ atque comæatuum ratio postulavit, facultates, & si quid amplius sine nostro dedecore peti & concedi potuit, communicata esse fatebuntur, dum apud nos unus-

1645.
Nov.

unusquisque sine strepitu, aut armorum tumultu militares turbas in finibus suis sæpius conspexerit. Adeoque quies nobis approbata est, ut Galli-
ci nominis Confederatos menstruo tributo potius pacare jam diu cepe-
rint plerique nostrum, quam cum ullo publicas privatasve inimicitias ex-
ercere. Nec prætermittendum est, quod unius aut alterius præsidii, qui-
bus quies nostra retardari videtur, dimissionem a Cæsarea Majestate con-
emus impetrare, adhibitis non levibus argumentis, de quorum robore at-
que persuasione non desperamus. Ea autem mente atque instituto hæc om-
nia fiunt, bellumque, quo communi quodam totius Europæ fato invol-
vimur, fugimus, ut Pacem nos meruisse judicemur, quæ nobis unica
cordi & in deliciis semper fuit; sanctis vero desideriis nostris, nemo inter
mortales Celsitudine Vestra & Excellentissimis Dominationibus Vestris
plus favere potest. Nam præterquam quod ipsis a Christianissimo Rege
non minor authoritas collata est, quam quæ ad tranquillitatem nostram
condendam ac stabiliendam necessaria est: si res nostræ Exercituum
Ducibus proponendæ forent, iique ut fines nostros agrosque a belli mole
immunes præstare velint, etiam atque etiam rogandi fuerint: quis in Cel-
situdinis Vestræ & Excellentissimarum Dominationum Vestrarum patroci-
nio potentissimo non confidit? Ipsa nempe sanguinis atque affinitatis
jura causam æquissimam apud Celsissimum Ducem Anguiantum, nec non
Illustrissimum Turenensem, Christianissimi Regis Exercituum in Ger-
mania Marschallum, efficacissime commendabunt nostro quidem emolu-
mento æternum æstimando colendoque. Datæ Bambergæ d. 9^o Septembris
Anno 1645.

1645.
Nov.

Celsitudinis Vestræ & Excellentissimarum Dominationum Vestrarum
Observantissimi & ad officia
paratissimi
Franconici Circuli Principum aliorum,
que Statuum Consilarii &
Legati.

N. III.

Des Fränckischen Craysses Schreiben an die Schwedische Gesandten,
um Mäßigung der Contributionen.

Illustrissimi & Excellentissimi Domini.

N. III.
Ej. Schreiben
an die Schwed-
ische Abge-
sante.

Studia nostra per eos, quos jam diu Monasterii habemus Legatos,
circa optatam Pacem, non perfunctorie demonstrata esse non dubitamus.
Atque eo nomine Franconiæ Circulum, sive desideratæ quietis ulla aura
affulgeat, sive diutius in perturbati Orbis caligine versetur, non parum
favoris ac benevolentia apud vestrarum partium Duces meruisse confidi-
mus.

Iis enim hæcenus copias nostras, quas communicare non dedecuit,
turbarum odio, ubi ratio belli postulavit, a nemine nostrum denegatas
esse, certum est, præterquam quod nonnulli, nec inferioris status inter
nos, dum Suecico militari ærario menstruum tributum haud cunctanter
pendunt, jamdiu omnem rixandi & excurrendi occasionem præscindere
peroptarunt; Nostrumque omnium in eo versatur præsens cura ac sollici-
tudo, ut unum alterumve Cæsareanum præsidium, quo adversa arma vi-
dentur irritari, mature e visceribus nostris eductum, totum Circulum
hunc, tam ab hybernis quam æstivis stationibus liberum atque immunem
præliminari tranquillitate frui sinat. Quod admotis urgentibus rationibus
a Cæsarea Majestate impetrare conamur, nec de successu desperamus.

Zweyter Theil.

¶

Quæ